

Q. D. B. V.

AD

MEMORIAM
WINCKLE-
RIANAM.

d. XXIX. MAJ. MDC LXXXI.

IN

GYMNASIO ZITTAVIENSI
RECOLENDAM,
PROCERES, PATRONOS
ET AMICOS;

SIMUL AD

ENCHIRIDII
GRAMMATICI

NOVAM EDITIONEM

PUEROS PUERORUMQUE INFORMATORES
DECENTER ET BENEVOLE

INVITAT

CHRISTIANUS WEISE, RECT.



ZITTAVIÆ,

TYPIS MICHAELIS HARTMANNI.

Redit Memoria Winkleriana, quam in Gymnasio nostro haecenus solenniter recolimus. Et meruit quidem Vir Nobilissimus, ut ab ultimâ viventium oblivione quotannis vindicaretur, qui sua liberalitate effecit, ne, quoties illucesceret hic mensis, deesset famæ velut posthumæ gratulatio. Habemus vero nunc Beatos Triumviros, qui statuerunt viventes, quid excipere in Cathedra nostra vellent mortui: KOHLIUM, Electoris Brandenburgici Vice-Cancellarium, MASCUM, Brandenburgicum & Anhaltinum Consiliarium; WINCKLERUM deniq; Ullersdorfii & Sommeraviæ Toparcham, Consulis nostri Hæredem non degenerem. Ac fato quidem, vix intra tredecim annos redituro, factum nunc est, ut Rector juncto penitus officio justa hæc solennia exsolveret. Nuper enim in KOHLIO spectavimus *IDEAM BONI AULICI*, in MASCO, *IDEAM BONI JCTI*; ut simul Auditores nostri intelligerent, quam sive Aulicorum, sive Jctorum virtutem sedulus in Gymnasio Juvenis, vel imitari posset, vel exprimere. Nunc, si promissa sunt servanda, libebat subjungere *IDEAM BONI OECONOMI*, ne nescirent nostrates, quantum domestica hæc Prudentia rebus etiam literariis conferre posset.

Ast dum istavolvuntur animo, novum planè dicendi argumentum sese offert, quod B. WINCKLERO tanto minus displiceret in vita, quanto majori sedulitate curam rei Scholasticæ, verbis in testamento expressis, videtur exoptasse. Nam anni effluerunt duo & triginta, ex quo B. Keimannus, Rheniani Donati prolixitatem coarctaturus, Enchiridion vulgavit, studiis puerilibus non incommodum. Postea distractis exemplaribus Jenæ excusis B. Parens meus, Auctoritate Nobilissimi Senatus, ad novam corrigendi operam adductus, id egit, ut supplerentur, quæcunque primam scribentis circumspeditionem effugissent, donec

donec subsequens Praxis solidiora commendasset. Ac placuit tum Typographia nostra, ne peregrinus lucrum interciperet: interim formularum & vetustas & angusta paucitas Virum, apud hos eruditorum ministros non educatum, hic in ipso cursu turbavit, ut de successu, quem animo proposuerat, cito nimis desperaret: neq; tamen defuit exterorum applausus, siquidem Freibergenses nitidioribus suis typis eandem informandi methodum repetere ac commendare sunt dignati. Cæterum nunc distracta passim exemplaria novam editionem urgebant, tanto minus differendam, quo gravior apud pueros vel unius anni solet esse jactura. Quid facerem? nævos typographicos repetere meum non erat; nec quid optassent Antecessores, à mortuis licebat discere: Memineram tamen quæ sæpius vel in literis, vel in sermonibus monuisset B. Parens, qui utinam plura sperasset, quam optasset: accedebant manuscripta ad rem Grammaticam pertinentia, quæ singularem in his studiis experientiam testabantur. Quamobrem, qui hætenus Politica vel Historica pertractaveram, qui nunc Oratoriis & Philosophicis meditationibus horas etiam succisivas consumo, à me impetraui, ut suscepto ad infimum velut Alphabetum regressu, de plena libelli mutatione cogitarem. Sive enim requiritur Grammatices notitia, eam mihi sive libris meis non defore augurabar; sive ex aliis studiis judicandum est, quæ regularum Grammaticarum esse debeat mediocritas, ego sanè per varia disciplinarum genera vagatus, talia nescire omnino haud poteram; sive tandem exacta typorum cognitio scripturam pueris reddere potest apertiore & distinctiore, ego etiam per varias Chalcographorum officinas notissimus, in numerato habebam omnes characterum & linearum modulos. Nec inhonestum videbatur Rectori, quod parvum quidem esset, at sine quo magna sustineri & promoveri non possent.

Acces-

Accesfit Nobilissimi Senatus liberalitas, ut non modo sumptus benignè surrogaret, è venditis exemplaribus denuo colligendos; sed, ne lucri causa quicquam in re scholastica susceptum videretur, singulis inferiorum classium discipulis librum gratis exhibendum destinaret. Sic mutatio satis magna, mutationem in ipso studiorum cursu relinquet exiguam.

Habebimus autem Exempla Regulis accuratissimè conjuncta: *Quin & Vocabula*, quæ puerorum memoriam plerumq; fallunt, cum proponuntur nuda, sententiis inclusa spectabimus, ut eadem operâ ediscendi Vestibuli, quod vocant, molestiam, tyronibus condonare queamus. Neq; deerit Syntaxis, in quantum ea præparare debet animos ad sublimiora nondum paratos. Adde quod vernacula lingua plerisque regulis reddita, pristinarum næniarum ambages ad arctiorem viam est perductura. Tandem ad singulos Informatores dirigetur fidelis manu ductio, quem tractandi ordinem, quæ artificia talis libellus requirat. Cum enim Cives nostri, quod publicè in Scholâ commendatur, privatis Pædagogis velut expoliendum & consummandum tradere soleant; futuri profecto pueri sunt feliciores, si dubium extet nullum, quin eruditionis viam ex ipsa eruditionis lege calcandam ingrediantur.

Et ista vero tanti videbantur, ut solenni hac occasione publicam commendantis vocem experirentur. Quamobrem ubi Virtutes *OECONOMICAS* laudavero in *WINCKLERO* nostro, easdem simul in hoc informationis curriculo fructuosas & salutare ostendam; ne quis credat minus bene ordinatam esse literariam hanc villicationem. Faxit *DEUS* ut Eventus spei respondeat, ac ut spes, propediem è splendidissimâ Auditorum frequentia faustum velut omen nanciscatur. PP. Fer. II. Pentecost. *MDCLXXI.*

